



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 53. Dicens:pater misi non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat  
voluntas tua. v. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

dit Deus ab hominibus somno peccatorum obrutis, & orauit secundo, vt nos doceret si ad primam nostram petitionem non exaudiamur, & obtineamus quæ petimus, iterum flagitemus; ita tamē vt oratio nostra sit conformis voluntati Dei. Si enim filius Dei naturalis, unigenitus patris &c. non statim exauditus fuit, ita ut secundo oraret eundem sermonem, quid putamus futurum ad optiuos filios, & maximē, ut sæpe fit, inimicis?

**D**omine ne discedas à me, cum tribulatio proxima est & non est qui adiuet, & da gratiam ut, cum clamauero ad te, maximē in extremis, exaudiri merear.

§. 53. *Dicens: pater mihi non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. v. 43.*

Quamuis natura sensitua Christi omnino imbiberat imagines amaritudinum passionis imminentis, eratque turbata & anxia supra communē hominum modum, ita ut præanxietate cruentus sudor ex omnibus illius membris erumpere posset, tamen amor validus & ardens desiderium nos redimendi velut malleus quidam aut vis ingens coëgit eum vt accederet iterum ad Deum patrem prosternens se ad terram coram eo, sanguineo perfundendus sudore, orans & submittens se diuinæ patris voluntati & dicens *pater mihi non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*

**D**isce hic, ô mortalis homo, ut in nulla re te quæras, sed honorem potius Dei & salutem proximorum; discite hic non naturæ desiderijs aut propriæ sapientiæ persuasione esse obtemperandum, sed illis potius, quæ poscit & exigit à te Deus, quæcunq; sint illa, siue in agendo, siue in dimittendo aut patiendis: in prosperis, in aduersis; sicut Christus non suam vtique sed patris fecit voluntatem quamuis id, quod voluntati patris erat annexum (scilicet passio terribilis plane) naturæ illius sensitivæ prorsus molestum esset atque contrarium, & suis relicta principiis inde prorsus abhorreret. Nam multo tibi utilius est Christum & diuinas sequi inspirationes, quam proprio iudicio sapere aut arbitrio nisi quantumlibet tibi aliquid, grande bonum esse, & ideo prosequendum, videatur.

§. 54. *Et venit, & iterum inuenit eos dormientes. v. 34.*

O Angor! ô bonitas! & ô fragilitas humana! angor quia præ angustia pene animo linquitur, dum nostra peccata & eorum vindictam in se portat, quas utiq; toto mundo grauius, Bonitas in tantis anxietatibus nihilominus, qua